

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Discrecio m  
cum fonte primo

Omni conatu debet discretionis bonum uirtute humilitatis acquiri  
que nos illesos ab utraque potest nimietate seruare.  
Vetus namque sentencia est, arrogigais ygosgais,  
id est nimietates equales sunt.  
Ad unum enim finem nimietas iejunii ac uoracitas peruenit,  
eodemque dispendio uigiliarum immoderata continuacio monachum  
quo sompni grauissimi torpor inuoluit.  
Nam per excessum continentie debilitatum quemque  
ad illum statum reuocari necesse est  
in quo negligens quisque per incuriam detinetur.

In collacione abbatis Moysi secunda.

Omni igitur conatu debet discretionis bonum uirtute humilitatis adquiri,  
quae nos inlaesos ab utraque potest nimietate seruare.  
uetus namque sententia est: ἀχρότητες ίσότητες,  
id est nimietates aequales sunt.  
ad unum enim finem nimietas iejunii ac uoracitas peruenit,  
eodemque dispendio uigiliarum inmoderata continuatio monachum  
quo somni grauissimi torpor inuoluit.  
nam per excessum continentiae debilitatum quemque  
ad illum statum reuocari necesse est,  
in quo neglegens quisque per incuriam detinetur,  
ita ut frequenter quos per gastrimargiam decipi non potuisse conspeximus,  
per inmoderationem iejuniorum uiderimus fuisse deiectos  
atque ad eandem quam uicerant passionem infirmitatis occasione conlapsos.

Iohannes Cassianus, *Conlationes XXIIII.*, 2.16.1 (CSEL 13, M. Petschenig ed., p.59, ll.15-26).